



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

v [i.e. ii]. Negationes & necessariæ, & contingentes à rebus positivis  
distinguuntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

affirmatur quidem purum nihil de subjecto positivo, sed expressum per vocem negantem certam tantum speciem entis, & non per vocem negantem omne ens, qualis vox est *nihil*, qua proinde de subjecto positivo affirmari nequit.

II. Negatio in genere est carentia entis positivi; pro ut opponitur privationi, est carentia formæ in subjecto inepto. Privatio est carentia formæ in subjecto apto, vel potius, est carentia unionis formæ cum subjecto apto; licet enim forma esset in subjecto, dummodo illi non uniretur, diceretur adhuc bene subjectum privatum tali formâ. Unde patet, privationem in obliquo importare capacitatem subjecti, vel tanquam intrinsecum sui constitutivum, vel ad minimum tanquam terminum, ad quem dicat relationem quasi transcendentalem. Diversitatem non tantum numericam, sed etiam specificam desumunt privationes, non tantum à diversis numero vel specie subjectis, quibus suo modo insunt, sed vel maxime à formis, quibus opponuntur, specie vel numero tantum diversis; ratione quarum quoque alià est privatio substantialis, alià accidentalis; & pro ut  
 sub-

subjectum proximè vel remotè capax est, uniri cum tali forma, alia est privatio proxima, alia remota.

III. Tollitur privatio positivè per unionem formæ oppositæ cum subjecto; negativè per destructionem subjecti capaxis, & privatio proxima per ablationem dispositionum proximarum. Positâ autem re in uno loco, perit opposita illi negatio ubiquè, quod, si non fieret, res eadem simul erit simpliciter, & non erit simpliciter; est simpliciter; ad hoc enim sufficit, ut sit alicubi; non erit simpliciter; quia ejus negatio erit alicubi; sicut enim ad hoc, ut res sit simpliciter, sufficit, ut sit alicubi, sic ad hoc, ut non sit simpliciter, sufficit, illius negationem esse alicubi. Ex eo itaque, quòd Petro tantùm existente Coloniae, ille non sit Romæ, non sequitur, negationem Petri fore Romæ; sed negationem ubicationis Petri fore Romæ; eodem modo, ex eo, quòd posita ubicatione Petri Coloniae, tollatur negatio hujus ubicationis Coloniensis etiam Romæ & ubiquè, non sequitur, ubicationem Coloniensem Petri fore Romæ; quia ubicationem Coloniensem esse Romæ, præter